


KI



5.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
MEDICO PHYSICO
QVAM
PRÆSIDE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO
ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE
PRO GRADV DOCTORIS
A. d. Julii Anni MDCC XXXVIII.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR ET RESPONDENS
SAMVEL BENEDICTVS LVCIVS
FREYSTADIO - SILESIUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

DIGESTATIO MEDICARIA & MEDICA
DE
MEDICO-PHYSICO

DIJOANNI HENRICO SCHAFERI
MEDICINE LOGISTIQUE ANTIQUITATUM ET

PHYSICO-CHIRURGICORUM FABRICO

ORDINARIO

ACADEMIE CASSELS NATURAE CARIOGRAPHIA ET

REGAE SOCIETATIS SCIENTIARVM BREVI-

LINENSIS SOLVÆ

TRIO GRADA DOCITORI

ANNO MDCCLXVII

BRUNNEUS DEDICAT

VALERIOR ET VITRIVS

SVMATE BENEDICTIAS LACIAS

BRUNNEUS-DIO. BRUNN.

JACOB JOANNIS CHRISTIANI HUTSCHEI VEN. Typogr.

PERILLVSTRI DOMINO
DOM. CASPARO
LEOPOLDO

LIBERO BARONI

DE KNOBELSDORF

DYNASTÆ CLIENTELARVM KVNTZENDORF LIEBENTZIG
BVCHWALD PIRNIG KALTENBRIESNITZ KLEINLO-
GISCH ET METSCHLAV

IN CONVENTV STATVVM PRINCIPATVS
GLOGAVIENSIS CIRCVLI FREYSTADIENSIS
DEPVTATO

TA VT ET CO

PERILLVSTRI DOMINO

DOMINO

ADAMO HENRICO
LIBERO BARONI
DE KOTTWITZ

HEREDITARIO CLIENTELAR VM KONTOPP HOFFWELTZE
LOHSEN SCHWENDTEN &c.

NEC NON
PERILLVSTRI DOMINO
DOM. RVDOLPHO
LIBERO BARONI
DE KOTTWITZ

HEREDITARIO CLIENTELARVM BEYADEL KERN
MESCHE ET POLCKE
MÆCENATIBVS ET PATRONIS SVIS SVBMISSA
PIETATE COLENDIS
SPECIMEN HOC IN AVGVRALE

CONSECRAT

AVCTOR ET RESPONDENS
SAMVEL BENEDICTVS LVCIVS.

DE KOTTWITZ
HEREDITARIO CLIENTELARVM BEYADEL KERN
MESCHE ET POLCKE
TORNIN SCHWENKIN

Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA.

DE

MEDICO PHYSICO

PROOEMIVM.



I qua lex esset , quæ in medica cathedra nihil aliud , quam febres & vlcera , agitare permitteret , verendum mihi esset ne reprehensionem incurrat hæc dissertatio , quæ partes medici boni & perfecti considerat , de morbis autem , eorumque causis & curandi methodis , nihil ex instituto pertractat . Enimuero nec HIPPOCRATI quisquam vitio dedit , quod eos libros reliquit , qui de medico , de veteri medicina , de arte , de decenti habitu inscribuntur ; neque post illius tempora quisquam eorum reprehensus fuit , qui de optimo medico , de officio medici , de medicinæ antiquitatibus vel historia commentati sunt , aut singularia quædam argumenta huc pertinentia illustrauerunt . Spero itaque mihi quoque veniam datum iri , cui visum fuit hac commentatione inquirere in originem illius appellationis , qua ho-

A 3

die

die medicum denotant physicum: quod in multis Europæ partibus familiare esse, inde a multis sæculis, publice constat. Quumque manifestum me redditurum sperem, quod physici nomen honoratus quondam fuerit, quam si medicum simpli- citer dixisses: adeoque inter medicos denotaue- rit eos, qui præstantiores essent & artem rationa- lem profiterentur, non empiricam temeritatem sequerentur: subiungendam putau ideam Opti- mi medici, qui dignus haberi possit, cui integra prouincia aut ciuitas curam salutis suæ, suorum- que ciuium & incolarum, secure permittat. Si quisquam fuerit, qui hæc potius a sene & magnæ auctoritatis viro suisseribenda existimet, ei duo hæc iuſſicent ad me absoluendum: nimirum ubi- que testimoniis summorum virorum me suffulci- re dicta mea: & manifestum esse hæc non suisſe inculcata illis, qui iam aslequuti sunt perfectionem, verum hisce, qui eo enituntur ut simillimi istis fiant, qui censemur optimi. Id vero quum omni- bus incumbat, qui se salutari arti consecrauerunt: quis reprehendet etiam iuuenem medicum, si se describenda & formanda hac idea exerceat, eoque desiderium testetur proxime ad eam semet com- ponendi & conformandi. Adspiret nostris conati- bus supremus archiater, efficiatque ut omnia ex vo- to succedant.

§. I.

§. I.

Quam alias omnis tractationis initium, de qua cunque re agatur, a nominis declaratione cum optima ratione ducitur; tum prorsus necessaria illa videtur, quando de nominis, per multorum saeculorum cursum, saepe mutato valore differendum est. Negari autem nequit, quod tam physici quam medici nomina inter diuersas gentes, variisque temporibus, diverso modo adhibitum fuerit. Hinc veniam nobis demandam expetimus, si aliquanto maiori industria proponamus, quae ad hanc diuersam notionis & usus rationem pertinent, sumto initio a *physico*. Eius autem vocabuli originem Græcam esse & a φύσι, natura, deriuari adieciuam hanc formam, dubio omnino caret. Hinc, pro more omnium eiusmodi adiectiuorum, semper alicuius substantiui nominis societas necessaria est, ut plenum sensum assequamur: quæ aliquando expressa est, aliquando deficit & ex usu communi loquendi subintelligitur. Sic in philosophorum schola, quando de causis disputatione, crebro audimus iactari causam physicam, a qua se iungunt moralem: sic theologi disputatione de unione physica. Quando autem disciplina philosophica, quæ de natura tractat, physica vocatur, aut illam tractans homo denotatur physicus; nemo est qui non facile suppleret nouerit in priori *doctrinam*, in hoc *philosophum*.

§. II.

Frequenti autem usu tam huic, quam multis aliis sua origine adiectiis accedit, ut fere substantia fuerint facta. Est autem antiquissima inter philosophos gloria physicorum: quum historia nos doceat primos ab amore sapientiae nomen adeptos præcipuam operam posuisse

suisse in natura rerum indaganda. Exponere autem Latine id nomen licet cum MATTH. MARTINIO in lex. philolog. philosophum rerum naturalium peritum; naturae consultum: aut, nisi offendunt impropriæ voces, cum CICERO-
NE de nat. deor. I. c. 30. dicemus speculatorum venatoremque
naturæ. Atque hic utique est antiquissimus huius vocis
significatus, & qui omnino diutissime obtinuit. In eo
nihil est, quod antiqui medici, postquam philosophia
& medicina disiunctæ disciplinæ semel factæ fuerunt, ad
se pertinere proprie existimarent. Neque puto sane fa-
cile dari exemplum posse in illo scriptore antiquo, inde
ab Hippocratis æuo usque ad seculum sextum Christianum,
quod ad medicum denotandum physici nomen ad-
hibitum fuerit. Nolim mihi hic obiici CICERONEM,
qui de orator. I. c. II. hunc in modum scribit: si ornatus lo-
quatus est, sicuti fertur & mihi videtur, physicus ille Democritus;
materies illa fuit physici, ornatus vero ipse verborum oratoris putan-
dus est. Certe enim nemo veterum inter medicos resert
Democritum, sed inter gnauissimos naturæ speculatori-
res & indagatores honorifico loco positum ab omni-
bus videoas.

Successit tandem atque usu invuluit alia notio phy-
sici, ut pro magico & superstitiolo accipiatur. Non
equidem memini magiam professos viros physicorum
nomine se venditasse: sed physica remedia & auxilia
morborum, eademque Latino nomine naturalia appella-
ta, quæ nulla manifesta ratione prodesset possunt, ut
amuleta, periammata, annuli, certa verba sensu ple-
rumque carentia, satis multa laudantur a scriptoribus, qui
seculo quinto & sequentibus de medicina scripsierunt.
Ne-

Neque solum inter medicos hæc appellatio inuenitur, verum etiam apud satis antiquos Christianæ doctrinæ magistros, quos sanctos patres celebrare solemus, qui magna contentione talibus vti interdixerunt Christi nomen professis. Qui specimina talium medica videre cupit, adeat ex Græcis ALEXANDRVM TRALLIANVM, ex Latinis MARCELLVM, BVRDEGALENSEM, Scribonii Largi interpolatorem: nam hic tempus & chartam talibus nugis perdere non licet. Rem sane antiquam esse certissimum est: quando autem nomen cœperit haud facile determinaueris. ARISTOPHANES, satis antiquus comicus, quippe Socratis æqualis, iam meminit annulorum istiusmodi aduersus malos dæmonas, noxiarumque bestiarum morsus & ictus valentium *Plut. verf. 884.* ybi interpres Græcus nos ad alios etiam comicos remittit, qui suo tempore momorderint Eudamum quandam, quem φιλότεφον & φαρμακοπάλην vocat, qui istiusmodi annulos vendiderit. Ipsos annulos τετέλεσμένους, φαρμακίτας, itemque φυσικούς appellat. Quum vero nondum pateat utrum ipsem et artifex Eudamus eos sic appellauerit, hominesque illius temporis eo nomine illos vocauerint, an vero scholia stes verbis sui æui eos designet; res in medio relinquenda est.

§. IV.

Si tamen coniecturæ locus permittitur, credere licet talia Romano orbi demum plenis horreis inuecta fuisse Neronis principatu, de quo PLINIVS hist. nat. Lib. XXX. cap. I. auctor est, quod enixo studio in magica perquirenda abreptus fuerit. Circa idem tempus philosopham aliquam abstrusam telesticam iactitantes exstiterunt, qui nescio quæ arcana a Chaldaeis, Iudeis, Agyptiis,

B

ptus,

ptiis , quin Brachmanibus & Gymnosophistis accepta iactitabant , iisque totum orbem commouebant . Quumque miracula , aut saltem cognitis naturæ viribus superiora , peragi hisce posse promitteretur ; atque Christiani nominis hostes , tam Iudæi quam gentiles , præstigiatoribus afferentibus crederent , aut credi vellent , vera miracula a Christo seruatore & eius apostolis peracta iisdem suis artibus fuisse perpetrata : non mirum videri debet eodem tempore , quo Christiana religio propagari cœpit , rumulos de hac arcana arte spargi cœpisse ; eosdemque plures sautores inuenisse , quo maiora per Christianismi incrementum detimenta hostibus Christiani nominis afferebantur . Possemus huius assertionis amplissimas comprobationes hic dare , si institutum nostrum illud postularet . Nemo autem talia desiderabit , qui scripta PHILOST RATTI aut EVNAPII , vel LVCIANI , legerit , illorumque temporum philosophos inde cogauerit : deinde vero patrum , qui religionem nostram detinent , opera inspexerit .

S. V.

Succederunt illa tempora Romani imperii , quo & ritus paganorum superstitiosi omnes abolebantur , & per barbarorum vindictaque irruentium potentiam , cum imperio & publica tranquillitate , omnes fere liberales artes supprimebantur . Muhammedis asseclæ orientem sibi subiiciebant , per occidentem Longobardi , Vandali pluresque grassabantur ; atque pauculi in claustris monachorum ad bonas artes fouendas , pauculosque libros conseruandos , industriam apud nos conferebant : cum interea primi Saracenorum principes eximio studio in litteras ferrentur , præque ceteris philosophiam , medicinam

cinam & mathematicas artes excitarent. Ab his quasi nouum initium cepit, quicquid in occidente effloruit scientiarum, & præcipue medicina, quam ex Arabicis fontibus haustam Italiæ primum intulit Constantinus Africanus, qui circa exitum Sæculi XI. in Cassinensi monasterio medica quædam ex Arabicis, suppresso quidem eorum nomine, emisit; cuius causa furti a multis inse-
quitis acriter accusatus fuit. Duodecimo sæculo Ste-
phanus quidam, qui se philosophiæ discipulum vocat,
de medicina mereri volebat integre verso ALI ABBA-
SII, quem vulgo Haly Abbatem vocant, opere, quod
mutilatum pro suo ediderat Constantinus: ex quo col-
ligendum existimo iam tunc præclaros medicos hone-
stius putasse a philosophia denominari. Primum autem
effulgit lux medicinæ in regno Neapolitano, operam
omnem maximumque studium conferente Friderico II.
rege Neapoleos & deinde Imperatore Romano, princi-
pe qui non solum bonis litteris omnibus fauebat, ve-
rum etiam ipsem optime illis imbutus erat. Illo ita-
que tempore etiam res medica optime constitui cœpit:
de quo publice testantur, quæ prostant, leges & con-
stitutiones huius imperatoris, quibus medicinam, eam-
que professos, in optimum ordinem cogit, pulchreque
omnia constituit. Ex illis cognoscas præstantissimos me-
dicos, qui legum latarum custodes esse deberent,
vocari magistros in physica. Quid sibi velit titulus hic
apud antiquiores insolens, cognoscitur ex illo elogio
quo CHRISTOPH. de HONESTIS laudat NICO-
LAVM SALERNITANVM, quod fuerit *medicus dia-*
exercitatus in practia & in naturali ingenio: ex quo loco illud
puto manifeste cognosci medicum physici nomine in-

signiri, qui non empiricorum more, per experimenta ad artem progressus est, sed illis disciplinis theoreticis imbutus est, quæ faciunt ut ars sit rationalis. Confer. si placet, HERM. CONRINGII de antiquit. Academic. disser. III.

§. VI.

Nondum tempus est indagandi, cur medici nomen tunc minus placuerit, quod deinde commodins utique fiet. Nunc tantum addo, quod ab eo tempore nomen physici ita adhibitum fuerit ut designaret medicum eruditum, in publicis scholis per consueta examina approbatum & honoribus exornatum. Multa exempla larga manu suppeditat CAR. du FRESNE in glossar. med. & in sim. Larinit. voce *Physicus*: quæ ibi videnda permitto. Addo ex Cl. Icti HENR. LAMPII disser. de honore, privilegiis & iurib. singul. medicorum, §. VIII. quod Sigismundus imperator in reform. Basili. part. II. tit. XI. de medicis loquens, eos vernaculo sermone modo *Meister Arztt*, modo die hohen *Meister* in physica, appellauerit: idemque iusserit in quavis ciuitate imperii unum huius generis physicum, einen *Meister Arzt*, constitui: ex quo non male colligitur hinc fluxisse appellationem, quæ hodieque obtinet, ut medicos, qui publico stipendio aluntur, physicos urbis aut prouinciae appellemus. Eidem Cel. LAMPIO debemus indicium bullæ Pontificis Gregorii IX, qua A. 1231. academiæ Parisiensis priuilegia confirmat, vbi physicis Artistæ iuncti sunt. Veroquæ simile est, quod illustri LEIBNITIO & aliis doctis viris primè placuit, nomen Germanicum *Arzt* ex illo artista factum fuisse. Scilicet omni modo studebant medici eruditi, ut se a profana turba hominum a medicina nomen

men iniustissime trahentium, & extium nobilissimam
contemptui subiectientium, disiungent.

§. VII

Sed nunc tempestuum ex de medici nomine dispi-
cere, vt cognoscamus quoniam late illud usu vulgari pa-
tuerit. Scilicet tam apud Græcos, quam Romanos, a
longissimo tempore medicinam faciebant liberi homi-
nes & serui: prorsusque id nomen ad homines vilissi-
ma agitantes, vt reunctores, barbarumque tonsores de-
mittebatur, quin mulieres medicae vocabantur obste-
trices, comtrices, & ignobilia etiam ministeria obe-
entes. Effecit hoc opprobrium vt fere puderet honestos
viros nominis, quod tam multis ex contaminatis-
sima plebis fæce commune esset: vnde apud principes
effecerunt vt archiatrorum & Comitum archiatrorum
honorifica appellatione illi exornarentur, qui bonis litteris
imbuti honestioresque ordinis essent. Sed quum
omnino iam prostrato imperio Romano nec bonis litteris
locus, nec honos, relinqueretur, omniaque turba-
ta essent: medicinam inuolauerunt longe plures, quam
antea, & qui olim in gymnaſiis vel reunctores fuerant,
vel illis seruuerant, praeter ceteros id sibi licere arbit-
rabantur. Nam quum imperatorum edictis illud insti-
tutum athleticum tolleretur, & ecclesiæ antis̄ites in eos,
qui pertinaciores erant, seueram censuram exercebant:
postea etiam seruorum pristina conditio mutaretur: fa-
ctum est vt quisque eorum, qui antea sub dominorum
nutu viuebant & nutriebantur, nunc libere vagaretur,
victumque si non arte, tamen mendacio & iactitata pe-
ritia, sibi comparare vellet, medicinamque professo-
rum immanis multitudo ita per omnes gentes grassare-
tur,

tur, vt vix erucarum & bruchorum, hortos & agros æstate depascentium, infelix copia comparari cum illis posset.

§. VIII.

Cogitandum itaque fuit a rectoribus populorum, tam suæ quam subiectæ multititudinis saluti studentibus, quo pacto obuiam iretur quoridianis stragibus, quas edunt imperiti medici; idque impetrare cupiebant excitando nobilia ingenia ad doctrinæ, per quam ad sapientum pristini æui monumenta aditus paratur, diligentiorum cultum. Ut vero & honores ac immunitates illos sic exultos ornarent & in aliis diligentiam accenderent; simul vero vt populus nosceret quibus suam salutem tutius crederet; illis honorificum nomen, quo a vulgaribus, medicinæ exercitium sibi arripientibus, homuncionibus distinguerentur, adiunctum est. Denotat itaque physicus noua hac notione virum doctum, qui se sanitati hominum rectis consiliis tuenda, amissæ autem restituendæ idoneum reddidit longo studio cognoscendis causis, quæ secundam valetudinem faciunt & conservant, quæque aduersam inducunt & continent, impenso, viresque remediorum omnis generis naturales recte perscrutatus est, adhibendique modos a peritis multumque expertis magistris accepit. Quibus addendum est, quod operam suam non nisi morbo aliquo interno, cuius causa in occulto est, proprie addicat: chirurgicos autem casus, vbi causa plerumque in oculos incurrit, sub sua directione tractandos chirurgis permittat: itemque, quod medicamentorum confectionem & preparationem pharmacopœo permittat, qui, cum officina sua & administris eius, inspectioni physici per antiquas & novas leges commendatus est.

§. IX.

Apparet ex dictis in quo conueniat nostri æui physicus cum prisco medico, & in quo diuersus inueniatur. Scilicet prisci etiam, quotquot eorum rationales erant, requirebant cognitionem proximatum causarum naturalium, ad conferuationem vel destructionem bona valetudinis facientium, & ad reddendam eandem valentium. Sed vetusti illi medici etiam chirurgicam partem sibi vindicabant, eandemque per se exercebant: & quisquis eorum volebat medicamenta sibi parare, nulla re, nullaque lege, quæ vilibet indicata sit, prohibebantur. Quod nostri sæculi moribus, inde ab illo initio quo physici medici cœperunt, aliter comparatum est. Nam prospiciendum erat ut tanta multitudo medicinam profidentium in ordinem ita cogeretur, ut plurius, vnde victum pararent, suppeteret. Quunque primæ academiæ ad clericorum ordinem adiungerentur: his autem non conuenire iudicaretur, ut sanguine humano manus cruentarent: videtur etiam hæc ratio valuisse ad chirurgie exercitium a medico physico adiendum: saltem pretextui luffecit, cur ita res constitueretur, cuius alia insuper causæ plures esse potuerunt.

§. X.

Vidimus in quo diuersus sit physicus medicus nostri sæculi, & aliquot prægressorum, a medico vetusto. Äquum nunc fuerit ut consideremus in quo distet a physico prisco. Is vniuersum hoc contemplabatur, suæque speculationis & disputationis obiectum faciebat. Quærebatur de deo, quem fere animam mundi existimat, de cælo, de stellis tam fixis quam inerrantibus, de diis

diis & dæmonibus, qui hominem & animalia fixerint, de materia ex qua omnia facta sint; de diuersa temperie elementorum, quæ per omnia, quæ producta, ac vel animata vel inanimata sunt, ita regnant, vt, speculatio hæc fere absoluat omnem, quam nobis de his tradiderunt, doctrinam. Talem vetustos physicos occupasse curam, vt vniuerlam, quam late patet, rerum naturam indagarent & venarentur, non coniectura dicimus, sed ex ipsis, quæ ad nostra tempora peruennerunt, monumentis cognoscimus. Superfluit autem OCELLI LV-CANI scriptum de vniuerso & TIMAEI LOCRI *de anima mundi*; quod aliquanto amplius deductum & enarratum PLATONIS etiam studio legimus. Eorum vero, quæ tempora nobis eripuerunt, non dissimilem fuisse faciem, satis colligimus ex illis fragmentis, quæ nobis haud vani, sed diligentissimi homines conseruauerunt. Ergo isti antiqui suæ professionis tam amplos posuerunt limites, vt ipsi fines non potuerint indicare & assequi: physicus medicus hominem solum ad se pertinere existimat, ex ceteris autem ea tantum quærerit, quæ hominis vitam & sanitatem vlo modo afficiunt, neque tamen amplius, quam quantum afficiunt. Est itaque verus *περὶ ἀνθρώπου φίλος*, quales Indorum medicos quondam laudauit STRABO *Geogr. libr. XV.*

§. XI.

Atque hos fines primum inter philosophos & medicos posuit magnus HIPPOCRATES, in insula Cogentius, vir arte & facundia insignis, qui primus a philosophia medicinam separauit. Is vbi mature considerauerat quæcunque physici ad suum vlique æuum de medicina & hominis natura scripsissent, non magis ea ad medi-

medicum, quam ad pictorem pertinere profitebatur, nihilque in medica schola quærendum de natura scilcebat, quam quod ad hominis naturam pertineret, eamque afficeret. Quumque de eo artifex, hominem continuo tractans, vnicे optimeque iudicare possit: indignum rebatur si quis ad medicinam instituendus hanc scientiam a sophista, qui non possit hæc callere, vellet repetere. Quin tanta erat viri ingenuitas, ut in principio libri *de natura hominis*, qui sine ullo dubio genuinus ipsius foetus est, aperte profiteatur, eum, qui de natura humana supra, quam ad medicam facultatem pertinet, differentes audire cupiat, nihil hic, quod suo desiderio accommodatum sit, esse inuenturum. Se enim nihil esse de elementis disputaturum, eorumque crassi diuersa, sed talia philosophis velle permittere, quantum libeat disputanda. Ita vero a physiologia philosophica disiungens medicam, non voluit dissuadere medico curam & indagationem effectuum, quos calor, frigus, humidum, siccumue in corpus humanum edant. Apertissime iniuriam optimo seni faceret, qui id ipsi imputare velleret, quem satis superque testatum fit, quantum his tribuerit, per varios in aphorismorum collectione exhibitos textus, quibus morbi temporum annifrequentiores, itemque a ventis excitati, enarrantur: totusque liber *de aere, locis & aquis*, certe aureus, abunde comprobet, quantum Hippocrates causis naturalibus in corpus humanum necessario agentibus, tribuerit.

§. XII.

Non est huius loci multa dicere de medicorum, qui post Hippocratem venerunt, sensu & persuasione de illa utilitate, quam causarum naturalium inquisitio affect.

C

fert.

fert. Notum est aliquos, qui empirici dicti sunt, abie-
cisse omnem hanc caularum, tam in statu sano, quam
morboso, indagationem: alios autem Hippocrati, alios
Epicuri placitis adhæsisse, nec vno modo circa causa-
rum naturalium perscrutationem versatos esse. De GA-
LENO, eruditio profecto medico, certum est, quod Hip-
pocraticam rationem indagandi naturales causas sequi-
tus fuerit, scilicet ut non a priori, ut loqui in scholis
solemus, ex assumptis certis principiis, in causas inquiramus,
sed analyticâ methodo progrediamur, obserua-
tisque iis, quæ fiunt, per gradus ad causæ inuentionem
enitamur. Nullibi clarius de hac re suam expromit sen-
tentiam, quam *de crisiis lib. III.* vbi distinctionem inter
medicum & physicum, qui ad ultimas causas enititur,
clare attingit, suadetque ut illi, qui crisiū causas non
omnino claras se intueri cognoscunt, id saltē caueant,
ne obseruare, quod sit, negligant, aut rem totam in du-
bium reuocare audeant. Et quamquam idem, vbi ad-
uersus empiricos & methodicos sui lœculi disputat, latis
ſepe contendit medicum agendi rationes demonstrati-
o ordinē debere proponere, & in numerato habere:
eadem tamen nec alias intelligit, quam magister Hip-
pocrates, scilicet per obseruationem eorum, quod in
corpore vnum quodque præstat, collectas, minime au-
tem ex vilius a priori oracula pandentis philosophi pla-
citis petitas.

§. XIII.

Atque intra hæc subtilitatem medicorum antiquissimo-
rum, qui se ob causarum naturalium requisitionem ra-
tionales vocauerunt, professio: nisi forte longius pro-
gressos Arabicæ scholæ magistros fatendum fuerit, quip-
pe

pe qui miras subtilitates de cuiusuis visceris, cuiusuis
esculenti, potulenti, medicamentosiuē qualitatibus, ea-
rumque gradibus & graduū gradibus, commenti sunt,
indeque a priori demonstrationes facere & curationes
præscribere annisi fuerunt: in quo genere præter cete-
ros excellere voluit IACOBVS ALKINDVS, quem
ob hæc cuiusuis araneæ fila superantem $\lambda\epsilon\pi\tau\epsilon\lambda\omega\gamma\alpha\epsilon$ subli-
missimis ingenii annumeravit Hieronymus Cardanus,
vir yltra id, quod virtùz conductit, & fructum humano
generi affert, sapiendi cupidus: quem paucos suo tem-
pore affectas inuenisse, hodieque defertum esse, nemini
mirum videbitur, qui penitus illum inspexerit.

§. XIV.

Hactenus expatriari in superiorum temporum hi-
storia visum fuit: nunc omnem operam eo conferemus,
vt medici physici, id est eius, quem summorum impe-
rantium per omnem Christianum orbem leges & statuta
in suis scholis, vt loquimur, priuilegiatis formandum &
honoribus exornandum præscribunt, vrbibusque &
prouinciis, tamquam ciuium salutis custodem dandum
præcipiunt, iustum ideam formemus, omnesque eius par-
tes consideremus. Est autem; si breui oratione finien-
dus est, persona honorata, publicum testimonium ab
iis, quorum fidei tantam rem commiserunt summi im-
perantes, consequuta, quod per omnes artis salutaris
partes ita se exercuerit, vt ipsi vita & sanitas hominum
conseruanda & recuperanda tuto permitti possit; quæ-
que magistratui, in rebus ad vitam & sanitatem perti-
nentibus, sententiam eius requirenti certum responde-
re possit, quod sequatur, & pro eo in causis, quæ sepe

C 2

sum-

summi momenti sunt, decidendis statuat, quod ad controvérsias finiendas sit iustissimum.

§. XV.

Quando personam honoratam dicimus, proxime respicimus ad illos honores, quos, tribuente & per beatam legitime constitutum conferente ordine seu collegio priuilegiato, accipiunt illi, qui per examina semel iterumque instituta, editaque eruditio[n]is specimenia accipiunt legitime promoti, & nomen ac dignitatem doctoris medicinæ consequuti sunt: quibus solis per leges licet artis opera exercere, & requirenti iudici responderem. Atque hæc collatio honorum & priuilegiorum facit medicum physicum, non autem vocatio ad id munus in quadam vrbe aut prouincia obeundum; quæ non efficit amplius, quam vt sit physicus illius vrbis aut prouinciae, a qua salario accepto obligatur vt se, posthabitis aliunde oblatis aut sperandis emolumentis, praesentem semper ac promptum cuius opera eius indigenti præstet. Sunt ciuitates, vbi omnes, qui collegio medico adscripti sunt, satis saepe numero so, vtuntur ex quo physici nomine: alibi videoas inter complures medicos vnum tantum, qui salario fruitur, physici nomine gaudere: quod tamen non efficit, vt ceteri inferiores sint, quoad priuilegia ordinis competentia: quamquam ille unus follennibus litteris vocatus, ad labores pro vrbe vel prouincia suscipiendos, & quando a magistratu sententia requiritur, ad respondendum, omni posthabito alio emolumento, vel inuidia aut metuendo odio, obligatus est, quum ceteris non ita obligatis facilior sit excusatio, quando subterfugere aliquam molestiam, aliquodue probabile periculum velint.

§. XVI.

§. XVI.

Isti vero medico phisico, qui a ciuitate vel prouincia conductus est, satis graue incumbit onus, cui cum laude sustinendo non paruae vires, nec exigua industria debent suppeterere. Præter enim commune officium cuiuslibet medici, ut suam opem implorantium saluti omnibus viribus succurrat & prospiciat, ipsi incumbit inuigilare morbis gliscentibus pestilentialibus, aliisque malignis & contagione aliqua facile ad plures serpentibus, ut mature magistratum moneat, isque prouideat auerrendo, quantum fieri potest, aut minuendo periculo. Porro ipsi demandatum est ut ex ipsa au&toritate sui muneric, adhibito, quoties opus est & leges requirunt, magistratus subsidio, bene obseruet quid agant chirurgi & pharmacopolæ, quam recte officio fungantur obstetricæ, quid moliantur qui se rei mediceæ ingerunt, vel ægrotis curationem promittendo, vel operationes instituendo, vel medicinas nescio quantarum virium ebuccinantes aut clanculum disseminantes: de quibus omnibus, si quid obseruent, quod rei publicæ periculum minetur, aut legibus bonis contrarium sit, ad magistratum, aut, ut regiæ constitutiones in terris hifce postulant & præscribunt, ad collegium medicum supremum referre debent, ut legibus sua auctoritas, bono ordini sua rationes, ciuium saluti sua integritas & securitas constent. Sed de his singulatim plura hic adiicere non licet, quoniam in bene constitutis vrbibus & prouinciis haec leges publicis editis propositis ad omnium notitiam perductæ sunt.

§. XVII.

Insuper accedit graue munus, multamque peritiam
C 3 & cir-

& circumspectionem postulans, vt, quoties magistratu postulante requiritur ad sententiam fundamentis artis medicæ congruentem expromendam, virum se præstet, & neque exaggerando paruam læsionem, neque magnæ grauitatem dissimulando aut præteruidendo, efficiat, vt ille secus, quam res postulabat, decernat. Id quum in prima renunciatione de vulneratorum statu maxime sit attendendum, tum vero frequentissimum est requiri, si quando homines aut ex vulnere accepto moriuntur, aut ita deceidunt, vt magna sit & iusta suspicio de veneno siue malitiose dato, siue per aliquem errorem accepto. Quam multum hic situm sit in accurata descriptione vulneris, lætarumque partium iusta denominatione; & vbi de veneno queritur, in eiusdem vera ostensione, atque ab eo ortarum læsionum fideli descriptione, quotidianis in foro exemplis cognoscitur. Vbi enim qui talibus accurate inspiciendis & examinandis præfuerunt, non adhibuerunt iustum industriam, difficile redditur iudicium istis, qui de periculo accurate aestimando, euentusque vera causa determinanda, consuluntur: vnde sœpe fit, vt mancam aut manifeste ineptam istiusmodi renunciationem notare, atque propter illam suspendere iudicium cogantur. Facile cogitari potest, quam hoc non sit honorificum illi, a quo profecta fuit illa relatio: & quod iudex in redubia non possit non admodum hærere, & non numquid crimina magni momenti, quoniam non satis liquida suppetit probatio, minus, quam mereri eorum grauitas videbatur, punita dimittere cogatur. Aliquis magno constitit acculauisse morbos pestilentes, quorum causa frustra fuere constituta, quæ in vero eiusmodi malo necessitas requirit: quum

quum hic euentus mox docuerit, frustraneum fuisse metum, aut non tantum fuisse malum, cuius causa opus fuisset commercium cum vicinis tollere, & totam regionem metu perturbare.

§. XVIII.

Sed non hæc sola sunt, in quibus physico prouidendum est, ne quid res publica detrimenti capiat, quando non satis curat recte agi in omnibus, quæ constituta sunt ut singulis indigentibus medicina præsidio succuratur. Enarranda sunt plura, que ab ipso desiderantur. Debet, vbi morbus occurrit, qui heroicis curationum generibus indiget, ferrumque & ignem requirit, chirurgum ad operationem vocatum dirigere, debet locum signare vbi incidentum sit, & sectionis ipsius modum, longitudinem, profunditatem indicare & præscribere. Propterea aduocatur, vt, si quid insperatum aut dubium emergat, possit consiliis ipsum moderari, & temerarios ausus inhibere: impeditre etiam ne ad extrema præsidia perueniatur, vbi mitioribus res perfici potest, & ne extirpetur, quod conseruari & in integrum restituи possit. Ab eodem requiritur ut merces circumforaneorum, quos a nundinis prohibere haud semper licet, examinet & prouideat, ne quid noxiū aut ancipiti periculo necessario subiectum credulæ plebi obtrudant: & si quis ab eorum vsu læsus sit, indicare quid noxiū effectum ediderit, sitque medicamento malo cum iusta ratione tribuendus ille, an imperitæ applicationi, aut alicui accidentalī causæ. Taceo plura gravissimi momenti, vt sunt sane non infrequentia & nostra memoria facta; vt vina mangonii detestabilis per lithargyrum suspecta explorare, & cum certitudine ostend-

stendere possit : vt homines morbum simulantes detegat & dissimulantes aut ipsos nescientes, se autem diuinatus agitari siue credentes siue fingentes, deprehendat ; vt scaturigines nouas aquarum , quæ soteriæ sperantur & prædicantur, ad iustum examen reuocare norit, ne vel aliquid publico profuturum negligatur, vel vana spe inflentur homines, & pro salute morbum, aut, quod fere leuisimum, spei frustrationem reportent ; tandem etiam vt quoties insolitum quid sese offert, quod pro ostento arripitur, causam veram possit indagare, neque errare ciuitatem patiatur.

§. XIX.

Forte nemo erit, qui dubitare audeat hæc talia a medico physico quoquis, sed in primis ab illo, qui ad vrbis aut prouinciæ salutem custodiendam vocatus & constitutus est, requiri & exspectari. Facile etiam apparet esse horum aliqua, de quibus stante quasi pede responderet & consulere debeat, quum res moram non patiatur, planeque postulet vt ex arena capiatur consilium. Ex quo vnuquisque intelligit, quam graue sit munus physici, quamque multa in eo requirenda sint, qui isti sit admouendus : neque minus patere debet quantum cause sit illis, qui cupiunt titulum medici physici ita gerere, ne ordinii dedecus afferant, elaborare, vt per omnes doctrinæ medicae partes non festinanter currant, aut eas, velut canis e Nilo bibens degustent & aufugiant: sed quamdiu in academiis, tamquam bonarum artium locupleti mercatu, versatur, omni & plane enixo studio elaboret ne quicquam eorum, quibus opus futurum est, negligat; illas autem egressus caueat, ne in se quadret quod grauissime quondam questus est celeberrimus Lipsientium medi-

medicus D. D. BOHNIVS de offic. med. dupl. p. 7.
*Est viruperanda practicorum plerorumque desidia dicam an arrogantia,
qui vix doctores sub & obreptitie proclamat & academiam exeuntes,
cum hac studia omnimode deserunt, nec, nisi in casib[us] difficultioribus
forsan, si diis placet, auctores evoluunt, sibi sufficere rati aduersaria
nonnulla lacera & inarticulata, aure & calamo satis fugitiuo ex ore
cuiusdam doctoris excepta, aut nullo hoc viso vel auditu, a commi-
litone descripta, utraque valde cruda.*

§. XX.

Sequitur ut visis a medico physico requirendis, nunc consideremus quæ nam sint illa, in quibus se versare a primo initio, in quibus desudare iam aliquantum proiectus, & a quibus non deficere senex & diu in officio constitutus beat, vt omnibus muneris & nominis sui partibus satisfacere possit. Supponimus merito bonis litteris satis imbutum ad sacra Hygeæ tractanda accedere, & philosophiæ initiatum esse. Prima nunc esse cura debet ut ad naturæ vniuersæ adyta introducatur per physicæ disciplinæ magistros, ram illos, qui per experimenta sensus excitant & edocent, quam qui seuerius per præcepta & theorematum erudiunt, siveque vim experimenterorum, indeque capiendum fructum, explicant. Quum latissime hæc disciplina pateat, istas præcipue partes studio maiori excolat, quæ de aere, aqua, deque calore & frigore agunt: quum hæc tam corpus nostrum omni tempore attingant & subeant, quam illa, quibus ad sustentationem eius quotidie opus habemus, diuerso modo alterare & mutare soleant. Et cum philosophi talium optime constitutorum proprietates fere tradant, iuuabit iam tunc inspicere medicos, qui corruptorum etiam & vitio laborantium talium rationes habent.

D

bent. Nescio an quisquam copiosius, & in illa tamen copia magis perspicue hæc complexus sit illustri quondam & meritissimo LANCISIO, cuius liber *de noxiis palpitationibus effluviis tironi, physices principiis imbuто*, non obscurus esse potest, & a fene etiam cum magno fructu identidem euoluetur. Sed illam partem specialissimam, quæ agit de fontibus mineralibus, tam calidis quam frigidis, quos soterios appellare solemus, accipere debet a medicis: quos inter nemo copiosius & solidius de hac parte égit illustri HOFFMANNO, a quo non solum illa, quæ ad naturam eorum pertinent, & ad explorandi ingredientia & contenta eorum modos multiplices, accipiet, verum etiam vtendi illis optimos modos & cautelas, ex multiplici ad ipsos fontes vsu & experientia comparatas.

§. XXI.

His satis excultus a macrocosmo ad hominem, microcosmum, tamquam medici physici obiectum, transfeat duce anatomico, quo magistro ita sedulo omnia vel minima consideret, vt nullus sit in corpore tam abditus recessus, per quem non studiose reptauerit. Huius exercitii, diu longeque continuandi, præclarissimum fructum præter ceteros eximio studio commendauit medicorum nostri æui clarissimum illud fidus illustris FRID. HOFFMANNVS, patronus & promotor meus perpetua obseruantia colendus, *medic. systematic. tom. I. p. II. §. 15.* his verbis: *nemo exquisitam vere theorie medice cognitionem sibi vendicare potest, nisi corporis humani, ratione structæ, exactam & intimam habeat notitiam.* Cumque plura de hoc differuerisset, deinde non grauatur docere quidnam potissimum ex hac disciplina medicum iuuet: *quia medicus externis*

ternis partium virtutis sepius manum adhibere debet, utique necesse est, vt, si id cum ratione peragere velit; omnium partium, presertim nervorum, vasorum, muscularum, tendinum sive, connexionem, usum atque consensum, tamquam ungues suos, pernoscat.

§. XXII.

Cur ante anatomicae disciplinae tractationem physice doctrinæ operam nauare iuuet, idem celeberrimus HOFFMANNVS rationem sapienter reddit c.l.pag.
 14. Sch. exquisitior rerum naturæ cognitio est quoque clavis anatomie, vi potestate physice scientie adminicculo ea, que sensu cognoscuntur in corpore abdito, explicantur & usus fabrice parium corporis inuestigatur recteque recluditur. Ex quo apparet physiologiam medicam, id est corporis humani philosophiam, ab his principiis repetendam esse: & ex iisdem deduci debere quicquid in doctrina de corpore integro & sano conservando, quæ hygiene dicitur, debet præcipi: præsertim si ita intelligatur physicam nisi debere experimentis, quæ inter alia etiam ex chemica doctrina repetuntur, quæ rerum, quibus ad corporis conseruationem perpetuo uti-mur, principia ostendunt. Atque his mature se tradere debet, qui cupit medicus physicus euadere: ita tamen ut medicinarum, quæ simplices vocantur, notitiam, quippe breui tempore, ob multitudinem suam, non facile comparandam, mature incipiat querere, atque principia singularium accurate indagare. Amplius est hic campus, quem emensurus a multis, qui historiam naturalem specialius tradunt, suppetias querere debet, atque tam botaniceæ rei auctores consulere, quam Zoolo-gos & rerum subterranearum scriptores patienter e-voluere. Et vt omnia oculis suis usurpare, manibusque contrectare possit, iuuabit amicitiam querere tam

D 2

phar-

pharmacopolarum, quam mercatorum a quibus ista merx diuenditur, ut ad inspiciendam illam suppellectilem per otium admittatur. Ita fiet ut non facile falli possit ab iis, qui improbam mercem obtrudunt, &c, ut loqui solemus, quid pro quo substituunt.

§. XXIII.

Quoniam hæc pars late patet, & subinde bona fide erratur, non vñquam potest nimia esse, quæ veris genuinarum mercium characteribus noscendis impenditur cura. Multis certe locis pro cyclamino in theculis officinarum reconduntur radices heliotropii tuberosi, ex quibus ad vnguentum, quod vocant de arthanita, acceptis non potest consequi quod exspectatur. Pro cicutæ vera, non vbiique certe obuia, videoas assumi sæpe quod cicutæ simile est, sed viribus impar, plantæ genus. Pro elleboro aconitum, alibi astrantiam nigrum, rursusque alibi damasonii radices fuisse substitutas multæ conqueruntur. Quorum fere errorum fons est & origo immensa homonymorum nominum in vernaculo sermone copia, quibus efficitur ut rhizotomi nostrates, mercenarium & indoctum genus hominum, adferat quæ isto nomine vernaculo insigniri audiuit: quos rectiora edocere & corrigere debet medicus physicus, botanicæ ad certiora fundamenta reuocata probe gnarus, dum essentiales characteres ex florendi & fructificandi ratione petunt, minime autem fidunt ambignis istis descriptionibus, quæ a magnitudine, foliorum figura, aliisque accidentalibus petuntur.

§. XXIV.

Dum huic materiæ studio incumbit, non debet circumscribere industriam suam factio quadam selectus a se in praxi

praxi sua olim habendi amore & desiderio. Meminerit, sibi olim incumbere, ut non solum sciat quid ipse facere velit, sed vt iudicare de aliorum etiam, alia edotorum aliaque sequentium, factis debeat; quod euitare non possit ut in consultationem cum aliis veniat, quos cogere non potest ut eadem, quæ ipse, vnicē probent. Cogitet fieri posse ut sibi pharmacopolii inspectio & visitatio committatur, & quod eiusmodi officina sit publica, plurimum vībus accommodata, vbi non reformandi ius habet, sed officium inquirendi quam recte omnia ad normam illam, quæ ab antiquo præscripta est, peragantur. Quin singulari & præcipua quodam studio debet nosse omnia venena, quibus numquam, si honestus est, vīsum se ipsum certo nouit. Nam ob casus subitos, quibus breuis & fugax occasio est seruandi eos, qui acceperunt talia, nosse ante omnia in viuis & ad hoc spirantibus debet ad quam classem venenorum pertineat id, quod assumptum est, vt cito adferantur idonea præsidia. In demortuis autem tanto certius deprehendet & indicabit mortis celeris & violentæ causam, eamque omnibus comprobabit, si symptomatum ab ea excitatorum recensio prægressorum medicorum obseruationibus pridem factis bene conueniat.

§. XXV.

Quando his omnibus bene præparatus est, ad pathologiam, ex vera morborum historia concinnatam, accedere debet, eique non breue tempus tribuere; quum ab hac cognitione causarum morbificarum curandi vere rationes pendeant, inque hac bene versatus is dum sit, qui medicinæ rationalis verum decus aduerfus empiricam plēbem tueri valet. Neque exigua industria

opus

D 3

opus est, ut signa, quibus morbi dignoscuntur, & præcipue illa, quibus hæc vel illa causa morbi certo cognoscitur, vel cum probabilitate coniicitur, plene innoteant. Sæpiissime enim id accedit ut imperiti signorum non recte cognitum morbum male tractent, ægrotantemque pessundent, quos omnium pulcherrime & efficacissime coarguit medicus physicus, si, errore eorum ostendo, ab ipso rationalis curationis bono effectu comprobetur. Nolo multis adserendum meum confirmare, sed pro me allegare iuuat illustris HOFFMANNI gravissimum testimonium ex *med. systemat.* tom. III. pag. 29. viisque maxime necessarium est scire & attendere specialiores characteristicas morborum notas. Si quid enim est, quod reddit medicum fama celebrem & quasi iuridicam, profecto est illa doctrina, qua ipse instructus ad firmum & indubitatum de genuina indole ac certo cuenitu morbi preferendi iudicium redditur longe capacissimus. Contra vero nihil perinde existimationi medicorum derribit, quam si hac in parte turpiter impingant, & fallacem in primis circa morbi cuiusdam processum atque exitum interponant sententiam: quandoquidem si de iis, quorum veritatem dies futurus commonstrarere debet, alienum quis souet conceptum, error ipsius facile sit evidens ac manifestus.

§. XXVI.

Per tot quasi præexercitamenta præparatus fit tandem idoneus clinicae praxi addiscendæ, quæ sub manu-ductione periti magistri non erit difficultima. Nam vere ille, qui morbum recte nouit, eiusque causam peruidit, quid agendam sit facile inuenit, & ex triplici præsidiorum fonte, diætetico, pharmaceutico & chirurgico abunde multa accipere potest, quæ indicationibus exsequendis sint idonea. Illud tantum a perito & exercitato

citato accepisse oportet, quænam sint iusta agendi & mouendi, quæve quiescendi tempora: quæque remedia, quo ordine, quaque dosi offerre deceat: quod quum ex libris non nisi tarde, & multo tamen hallucinandi periculo, addiscatur; felix omnino erit dicendus, cui contingit saxe multumque attendere ad ea, quæ iam exercitati faciunt, notareque eventus, qui inde consequuntur. Supereft tamen illi, qui omnes partes medici physici explere cupit, & locum physici ciuitatis cum laude obtinere, vt præter clinicae praxeos plenam peritiam, in chirurgica etiam exercitatus sit, & in re obstetricia tantum sciat, vt in casibus grauioribus efficaci auxilio & consilio possit succurrere. Sunt quidem nostro æuo, qui adeo ipsas operationes manuales, tam chirurgicas quam obstetricias, a medico postulant: quoniam clari viri vtrisque per se exercendis famam magnam consequuti sunt. Quorum quidem gloriæ appludo, peritiamque laudibus prosequor: sed ita tamen mentem induco meam, consultius esse medico physico si rarius eo deueniat, aut quando adsunt idonei, quos dirigat & consilio iuuet, prorsus abstineat. Quod si vero locus & tempus postulet, vt manum ipsemnet admoueat, melius puto a moribus patrum recedere, quam ægrotum perclitantem sine ope relinquere.

§. XXVII.

Apparet ex dictis quam minime leue sit & adspernabile, quod a physico medico quoquis requiritur, in eo autem, qui se patitur ad munus physici ciuitatis aut prouincie adstringi, plane magno onere grauatum, quum ceteris fere liceat in grauiori casu defistere & excusatione aliqua vti: hic autem nihil subterfugere possit, quantumvis

tumuis sit difficile & periculo obleptum. In talibus quidem vir honestus facile se sustentat conscientia studii, quod res postulavit, sedulo nauati, cetera autem deo commendat. Ut autem hunc propitium & omnium, quæ conari debet, adiutorem habeat, vera in deum pietate, piisque precibus impetrare studet. Pulcherima sunt quæ in hanc rem scriptis medicus & theologus insignis CASPAR BARTHOLINVS in consil. de studio medico, ex quo non possum, quin paucula transcribam: *omnis, inquit, creature ingemiscit, refractaria homini, quando huius vanitatis subiecta esse cogitur, ideoque liberari exceptat, neque homini seruire.* Quod si ita est, ut reuera ita esse spiritus dei inculcauit, qua felicitate inuitis canibus aliquis venabitur? qua felicitate impius studium aliquod vel meditando trahabit, vel operando exercebit? Videntur sibi quidam sine pietatis studio medicinam, more ethnorum & Iudeorum, forte velle & posse facere. Ceterum aut ad tempus dumtaxat durat felicitas, vitorum amore omnia in mente & manu coquinante, aut euigilans conscientia melancholiam incurabilem progenerans, perturbat omnia: aut eadem mentem huius morbi liberam, inquietam anxiarnque in dubiis percurandis, aut male percuratis reddit casibus. Plura sane aurea apud ipsum auctorem legantur, digna vtique, quæ vnuſquisque ad animum profunde admittat, & perpetuo exercere numquam cesseret.

§. XXVIII.

Quum vero fieri non possit vt tot tantarumque regum varietatem homo quisquam, etiamſi diligentissimus fuerit & admirabili ingenio, diuinaque memoria præditus, breui paucorum annorum spatio animo imprimat & quantum satis est complectatur: opus est vt physicus medicus, vbi academias egressus est, maxime perficiat

ciat ædificium, cuius ibi fundamenta iecit, versando cum viris doctis, a quibus proficere possit, & assidue legendo optimos medicinæ auctores, præcipue autem illos, a quibus in practica medicinæ parte tam præceptis quam exemplis augeatur. Tales potissimum sunt qui rerum a se visarum & peractarum historias fideliter consignaverunt, qualesque tam de clinica, quam chirurgica & obstetricia praxi non paucos prodiisse vidimus, quibus aliqua emendantur a veteribus non optime tradita, nec pauca ab ipsis prætermissa supplentur. Hi sunt, quibus legendis animus continuo paci debet, & ad artis pleniorem scientiam instrui. Neque minus assidue terendi sunt illi auctores, qui forenses casus, & responsa ad illos scripta, publicæ luci sistant.

§. XXIX.

Atque hæc sunt, quæ in quoquis, qui medici physici nomine vult dignus haberi, præcipue autem in eo, qui medici urbis aut prouinciae cuiusdam ordinarii, seu, quod idem est, physici dignitatem & munus usurpare. & cum laude sustinere cupit, necessario adefse debent; & talia sunt, vt male munita censeri debeat ciuitas, quæ physicum naœta est, in quo non sunt hæc omnia rite coniuncta & vnta. Neque enim iustus exercitus ex solis peditibus, aut equitibus, aut tormentariis solis componitur, sed, si omnibus, quæ in bello accidunt, sufficere debet, & hos habere debet, & aliquos leuis armaturæ, qui celeribus incursionibus inferuant, & gravis armaturæ militibus præcurrant, aut terga vertentem insequantur hostem; quin neque lixis & calonibus carere solet aut potest: qui tamen omnes, si ad unius imperatoris autum suum quisque agunt,

E

agunt;

agunt, ad victoriam aliquid conferunt. Pari ratione in medicina quædam sunt partes principales quidem, sed nihil efficiunt, si illis subleruentes claudicent & officium non faciant. Valde autem magnus committetur error, si quis in parte quadam ministeriali, ut anatome, botanica, chemia versatissimum, aut in chirurgia etiam & arte obstetricia valde peritum, ceteris autem leuiter tinctum vel plane destitutum, custodienda ciuitatis aut prouinciae saluti præficiendum censemret. Magis etiam aberraretur, si quis virum per multas terras irineribus institutis, & de multorum simplicium in natali solo visorum natura differere valentem, aut metallicarum rerum præ ceteris peritum, aut pharmaceuticæ soli innutritum, ceterarum autem partium, quæ maximi momenti sunt, expertem, tanto officio admouendum existimaret. Sed quoniam de hoc plura grauiter differuit illustris HOFFMANNVS in elegantiissimo scripto, *de differentia medici & practici medicine*, fériis mihi paratis libenter utar, hicque faciam commentandi

F I N E M.



NOBILISSIMO ET EXIMIE DOCTO
DOM. CANDIDATO

S. P. D.

FRIDERICVS HOFFMANNVS

ORDINIS MEDICI OMNIVMQUE IN REGIA FRIDERICIANA PROFES:
SORVM SENIOR.

Sape miratus sum inclytæ patriæ tuae Silesiae prorsus singularem in proferendis ingenii ad omne litterarum & artium genus aptissimis, fertilitatem. Nulla omnino pars est eruditionis, de qua non pulchre præclareque meriti sint Silesii: florentque hodie in pluribus aulis, urbis & academiis, qui & ipsi rem litterarum publicam illustrant, & magnum ac illustre nomen in ea consequuntur. Quum facile & proclive esset plures nominibus suis indicare, tamen quia vix futurus est elector, cui non illoco succurrere debeant; paucorum tantum reminiscar, quos medicorum ordo nobilissimos suo tempore veneratus est, omnis autem posteritas, nisi ingratia futura est, celebrare debet. Antiquiores sunt LANGII, CRATONES, WIRTHII, SCHOLZII, SEBIZII, SCHWENCKFELTI, HOFFMANNI, SENNERTI, qui Augustissimorum Imperatorum & regum, ut & Principum Electorum archiatri, aut clা

ri professores in nobilissimis academiis fuerunt, aut
memoriam perpetuam doctis & utilissimis scriptis con-
sequuti sunt. Propiori aeo Silesii in ornanda Acade-
mia Naturae curiosorum fere primas partes tenent,
vt in amplissimis illis ac utilissimis commentariis
*SACHSIOS, AMMANNOS, MAJORES, VOL-
GNADIOS, JÆNISIOS, REISELIOS, HELVI-
GIOS, GRASSIOS, CLAVNIGIOS, KANOLDOS,
KVLMOS, PAVLOS*, aliosque praelatos viros fre-
quenter legamus : ne nunc dicam de ipsis obseruatio-
nibus a medicis Vratislauiensibus editis, & de illis,
qui singularibus scriptis inclaruerunt. De TE au-
tem, mihi Candidate, prorsus auguror, fore ut in
TE Silesiorum gloria medica minime obsolescat. Non
festinanter per medicorum scholas cucurristi, sed sa-
tis multos annos auscultandis celeberrimis viris, qui
Lipsiae & Vitemberge docent, tribuisti. Missus ad
me & honorificis litteris a Perillustri Domino, L. B.
de KNOBELSDORF commendatus, non solum per-
ritiam in arte salutari satis probasti, verum etiam
morum elegantia & probitate insigni tam mibi, quam
vniuerso nostro ordini ita satisfecisti, vt TE inter
dignissimos Candidatos censeamus, atque de TE pla-
ne confidamus, fore ut medici physici virtutes &
præstantiam, quam in dissertatione inaugurali pul-
chre descripsisti, omnes in TE agniti & amore ac
bonore prosequuturi sint. DEVIM precor ut labo-
ribus

ribus tuis medicis adsit, felicissimosque iis successus
tribuat, quibus perillustrium patronorum spei, at-
que summe reuerendi parentis tui voto abundantissi-
me satisfacias. Vale a. d. XXIV. Julii

M D C C XXXVIII.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. P. D.
PRÆSES,

Quem mibi non solum peritiam tuam in arte
salutari cognoscere licuerit tunc, cum ex le-
gum prescripto ordini medico TE exploran-
dum exhiberes, atque utrumque illud examen cum
laude sustineres; verum etiam penitus tam inge-
nium tuum, quam singularem probitatem cum eximia
modestia & morum elegantia coniunctam, inspicerim
illo tempore, quo TE adium mearum incolam &
cuiuctorem exoptatissimum habui: facere non possum ut
hunc diem, honoribus tuis consecratum, sine aliqua
tam gaudii mei quam amoris testificatione pratermit-
tam.


ram. Ante vero, quam id agam, paucula liceat mi-
bi tecum colloqui, de re aliqua non longissime ab ar-
gumento tuae dissertationis remota. Placerunt sa-
ne, quæ ex antiquitate attigisti, de medicis & physicis
vetustissimis: atque his mibi in memoriam reuoca-
uisti iam olim suscep tam inquisitionem in primam o-
riginem illius moris, medicos publico stipendio, ad pro-
curandam unius ciuitatis salutem, conducendi, ut
quoties res postularet eorum opem, praesto essent, ne-
que ægroti sine auxilio artis perirent, aut in periculum
extremum adducerentur, dum e longinquo aduocan-
dus est. Inuenio autem antiquissimis temporibus
Græcia fuisse, non solum in urbibus magnis, verum
etiam in satis mediocribus oppidis & vicis, medicos,
quibus pro salario erant perpetui redditus templorum,
quibus tamquam sacerdotes, vel Aesculapii, vel Tro-
phonii & Hercynes, vel alius numinis medici, se se non
tam consecraverant quam nascendi iure consecrati e-
rant. Verum illud erat hominibus molestissimum,
quod morbo correpti ad templum numinis, cuius no-
mine medebantur, venire, aut potius deferri debebant,
nemo autem Asclepiadarum extra templum medici-
nam faciebat. Mire igitur gratum erat hominibus,
quum primum exsurerent viri, qui se præclaris fa-
ctis medicos ostendere possent, nec grauarentur lan-
guentes & decumbentes domi quemque sua inuisere,
& vel edocere vel administrare quibus ad salutem re-
cupe-

cuperandam opus esset. Primus eorum, qui in Græcia id fecerunt, Democedes erat Crotoniensis, ut perspicue notat HERODOTVS libr. III, cap. 131. Vixit autem hic vir integris D. annis ante initium ære Christianæ, & Hippocratem sesquiseculo præcessit. Hunc, e patria sua Aeginam delatum, ita admirati sunt homines, qui edita ab ipso artis specimina videabant, ut a se discessurum anno stipendio talenti unus promisso detinerent. Neque tamen fidem, nisi de uno anno dedit, quo exacto, quum maiori præmio voraretur, Athenas accessit, annum unicum stipulatus: Athenis, longe maiori præmio illectus, ad Polycratem Sami tyrannum nauigauit, cui pro anno duorum talentorum honorario suam operam addixit. Ab hoc initio videntur longe plures ex Græcia magna & Cyrenaica regione in Graciam migrasse, quoniam luculenta satis hac stipendia & non contempnenda videbantur. Tunc sane, quum Athenienses seu illa & memorabili pestilentia, quæ bello Peloponnesiaco urbem eorum exhausti premerentur, fuisse medicos ex THVCTIDIDE intelligimus, qui omnium diligentissime de hoc morbo scripsit. Atque videtur omnino per hos medicos aduenas, & egrotorum domos ac lectulos inuisentes, res Asclepiadarum fuisse attritas, & effectum ut & ipsi, ne fame domi consumerentur, ambulare ad ægrotos, & peregre proficiisci discerent; cui rerum mutationi populorum & urbium rectores non fauere omni-

no

no non poterant. Hæc paucis volui addere tuae differentiationis argumento. Quod supereft TIBI gratulor felicem & exoptatum finem academicorum studiorum, deumque precor ut illud, ad quod accinctus es, laborum medicorum initium ita secundet, quo plurimum ac diutissime inferuias patriæ tuae, ac viro summe reuerendo, parenti tuo, totique familie, solatio ac gaudio diu florentissimus, & felici exoptato que omnium successu ornatus, supersis. De me illud persuasum habeas, nihil mihi iucundius posse accidere, quam crebrum de tua salute & prosperitate nuncium: iucundissimum autem fore, si qua in re ostendere possim, quantopere TIBI ad omne officiorum genus prestantum promtus sim ac paratissimus futurus. Vale a.d.

XXV, Iulii MDCCXXXVIII.



00 A 63 29


ULB Halle
002 836 548

3



5b.

Retro



PERILLVSTRI DOMINO
DOM. CASPARO
LEOPOLDO
LIBERO BARONI
DE KNOBELSDORF
DYNASTÆ CLIENTELARVM KVNTZENDORF LIEBENTZIG
BVCHWALD PIRNIG KALTENBRIESNITZ KLEINLO-
GISCH ET METSCHLAV
IN CONVENTV STATVVM PRINCIPATVS
GLOGAVIENSIS CIRCULI FREYSTADIENSIS
DEPVATO

IA VT ET
PERILLVSTRI DOMINO
DOMINO
ADAMO HENRICO
LIBERO BARONI
DE KOTTWITZ
HEREDITARIO CLIENTELAR VM KONTOPP HOFFWELTZE
LOHSSEN SCHWENDTEN &c.